



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 66. Parisiensis Facultatis Theologicæ oppositio contra Jesuitarum Scholas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

**Sæc. XVII.** controversiam post Apostolicum suspensionis decretum refricare, inhibita fuisse: Denique addunt alii, veram hujus censuræ causam extitisse, quod hic Author Sanctum Jacobum Majorem in Hispaniam venisse propugnarit, adversus opinionem Cardinalis Baronii: id vero minus probabile videtur; hujus enim Cardinalis judicio adversari, nunquam piaculum fuit. Eodem hoc anno Romæ damnata est *querela seu actio Antonii Arnaldi contra Jesuitas.*

## §. LXVI.

*Parisiensis Facultatis Theologicæ oppositio contra Jesuitarum Scholas.*

*Argentre  
collect. Jud.  
tom. 2.*

**E**nimvero Henricus IV. Galliarum Rex Societatis Patribus Scholas suas aperiri facultatem concesserat: nihilominus Parisiensis Senatus Regias hæc literas fraudulenter fuisse ab ipsis extortas autumans, eas ad acta referre negabat: Insuper urgente Edmundo Richerio Facultatis Theologicæ Syndico die septima Novembris habito conventu omnes Doctores decreverunt, quod Cathedralæ Theologicæ, quam Jesuitæ contra omnia Academiæ statuta nuper a Rege impetraverant, & suæ Societati privatim addici curarunt, totis viribus sefe



fese opponere vellent. Igitur hanc in Sæc. XVII.  
rem die decima sexta ejusdem Mensis A. C. 1609.

rurfus convenientes sua desuper judicia  
ac rationes proponebant, quarum pri-  
ma erat hæc. I. „Semper actum fuit  
„antea de retinenda Academiæ nostræ  
„dignitate, in hodiernis autem comitiis  
„non id agitur, sed quæritur, an Fa-  
„cultas Theologiæ, atque etiam tota  
„Academia (Patribus docendi munus  
„Lutetiæ capeffentibus) dehinc con-  
„sistere valeat, cum præsertim Patres  
„jamjam triginta quinque aut circiter  
„Gymnasia in Galliis instaurarint, &  
„indies nova fundent examina, ex qui-  
„bus tanquam ex locupletissimis Colo-  
„niis (nam se quadraginta millia Scho-  
„lasticorum habere in sola Francia præ-  
„dicant) suum istud Parisiense Colle-  
„gium in totius Academiæ vastitatem  
„ac solitudinem locupletabunt. „

„Secundo, vinea Domini omnibus  
„suam industriam in ea colenda navare  
„volentibus longe lateque patet; & Chri-  
„sto Domino Authore, messis multa un-  
„dequaque, paucissimi vero operari  
„appetunt, ac propterea omnes omnium  
„gentium Ordinum, & Religionum Chri-  
„stianarum homines plus satis habent,  
„unde cunctos animos & corporis sui  
„nervos agro Domini egregie pastinan-  
„do ac subigendo intendunt, si modo  
„per



Sæc. XVII. „per Patres Societatis liceret, (qui  
 A. C. 1609. „cum authore Osorio in obitum Patris  
 „Ignatii ad aliorum Ordinum, Reli-  
 „gionum, & Sodalitiorum defectus ex-  
 „plendos, novos eluendos, distorta quæ-  
 „que corrigenda, & silentium tumidis  
 „Magisteriis imponendum instituti sunt)  
 „nihil mirum est, si in docendi labore  
 „neminem, nequidem æqualem aut e-  
 „tiam inferiorem pati velint, nisi forte  
 „Patrum nutu tanquam equus genero-  
 „sus Domini popisinate flectatur, id-  
 „que in causa est, cur hodie Patres in  
 „tota ferme Italia, in Gallia Subalpina,  
 „Sabaudia, Burgundia, Belgia, Ger-  
 „mania, Polonia, universæ eruditioni  
 „& literaturæ dominantur, in Galliis  
 „porro unica & sola Academia Parisen-  
 „sis multis Patrum Collegiis strictilime  
 „obsessa restet dominanda, quo in Col-  
 „legium Societatis captiva & trium-  
 „phata ducatur, & tandem periculosis-  
 „simum totius Sapientiæ & literarum  
 „monopolium, (quæ sunt lucerna ani-  
 „mi, quæve instar lumen solis commu-  
 „nes esse debent) constituatur & Scho-  
 „la nobilissima ex seculari Regularis fa-  
 „cta non solum Gallicanæ, verum etiam  
 „universali Ecclesiæ, quæ Theologiæ  
 „puritatem conservavit, furripiatur.  
 „Quod si Patres parabolæ hominis pau-  
 „perculi unicam modo possidentis ovi-  
 „culam,



„culam, quam nescio quis dives omni  
 „armentorum & pecudum genere refer- Sæc. XVII.  
 „tissimus occidi curavit, meminissent, A. C. 1609.

„forfitan aliqua eos solitudinis Acade-  
 „miæ Parisiensis caperet miseratio, &  
 „ducentis millibus Scholasticorum, quos  
 „se in Europa habere jactant, contenti,  
 „nobis amplius molesti esse desisterent.

„Tertio. Reges christianissimi Pari-  
 „sensem Academiam sic institui volue-  
 „runt, ut universi Ordines Regularium  
 „suos alumnos privatim docerent, ne-  
 „que unquam ludum publice referant,  
 „præterea Regias Cathedras ita instru-  
 „xerunt, ut nullus bonis artibus in-  
 „cumbens, civis aut peregrinus, sæcu-  
 „laris, aut Regularis, modo tamen ido-  
 „neus esset, qui non aliquando se  
 „hujusmodi professiones Regias conse-  
 „qui posse speraret.

„Quarto, Henricus IV. Galliæ Rex  
 „suasione Doctissimi & Illustrissimi Car-  
 „dinalis Perronii, duas Professiones Re-  
 „gias Theologiæ ab undecim annis fun-  
 „davit Parisiis, & spe illarum obtinen-  
 „darum, hodie Parisienses Theologi  
 „tanto cum ardore & æmulatione in  
 „Theologiæ Studium incumbunt, ut  
 „non pauci reperiantur, quamquam sti-  
 „pendiis destituti, qui Theologiam gra-  
 „tuito doceant, adeo ut in Collegiis  
 „Sorbonæ & Navarræ singulis diebus  
 „sex



Sæc. XVII. „sex habeantur lectiones Theologiæ, quas  
A. C. 1609. „quadringenti & amplius auditores tan-  
 „to cum fructu certatim frequentant,  
 „ut Patribus vehementer doleat, neque  
 „operam suam, neque eruditionem ne-  
 „que diligentiam hac in parte deside-  
 „rari. Quocirca veriti, ne progressa  
 „temporis sua Theologia Parisiis exo-  
 „lesceret, callide in ruinam Scholæ Pa-  
 „risiensis facultatem docendi Theolo-  
 „giam impetrarunt: sed cum Theolo-  
 „gia neque a Majoribus nostris, neque  
 „in Scholis Patrum, accuratius aut or-  
 „natus, quam hodie a sex Professori-  
 „bus Parisiensibus unquam tractata fue-  
 „rit, certe Patres, qui in aliorum sub-  
 „sidium missi sunt (nisi forte sincera e-  
 „tiam vasa incrustare, & firmissima quæ-  
 „que vibicinibus fulcire voluerint) a  
 „Theologicis profitendis Lutetiæ absti-  
 „nere debuerunt. Quod si quis pruden-  
 „tix, imo vero charitatis sensus super-  
 „erit, longe præstantius pietati con-  
 „sultum foret, si Patres ad eos profi-  
 „ciscerentur, qui eruditione Theologica  
 „indigent, non ad Scholasticos Pari-  
 „sienses, qui summo Dei & Regis bene-  
 „ficio omni genere literarum abundant:  
 „verum quis hoc illorum inceptum a-  
 „liorsum tendere arbitretur, quam ut  
 „semel impetrata licentia profitendæ  
 „Theologiæ, unaquoque ad alia omnia  
 „exer-



„exercitia literarum viam sibi expedi-  
 „tam muniant, hacque ratione Pari-  
 „sensem Academiam in suum includant  
 „ludum: quod illis propositum esse om-  
 „nes facile intelligent, qui noverint,  
 „Patres in suis obeundis negotiis hoc  
 „semper de more habuisse, ut sensim  
 „perreptarent, ac ad instar navicula-  
 „riorum, averso vultu remis velisque  
 „in portum multo ante meditatam ap-  
 „pellerent, in cuius rei exemplum, va-  
 „rias Sanctissimorum Pontificum con-  
 „stitutiones pro hoc Sodalitio auctoritan-  
 „do factas adducere possemus; maxi-  
 „me vero quod sic inter se dissimiles  
 „sint, ut posterior antecedentem gratia  
 „& privilegiorum amplitudine perpetuo  
 „exuperet, verumtamen ad domestica  
 „oculos præstat convertere: an non e-  
 „dictum Regium de revocandis Patribus  
 „promulgatum, plane atque diffinite  
 „cavebat, ne Sodales isti jure hæredi-  
 „tario parentum suorum bona posside-  
 „rent, ne plus quam octo aut decem  
 „Collegia haberent in Galliis; sed quam  
 „istarum conditionum sibi servandam  
 „duxerunt? quem superiore anno lapi-  
 „dem non moverunt, ut contra omnem  
 „naturæ sensum (quæ illos solum hæ-  
 „redes esse patitur, a quibus similiter  
 „aliquid hæreditatis sperari potest) avi-  
 „tas hæreditates caperent? sed quis  
 „hodie

Sæc. XVII.  
 A. C. 1609.



Sæc. XVII. „hodie modus, vel novis Collegiis Pa-  
 A. C. 1609. „trum struendis vel ambiendis positus,  
 „quæ non gratia quæsitæ & pensatio  
 „adhibita, ut Provinciam docendi Lu-  
 „tetix consequerentur; quamquam tri-  
 „men hoc legendi onus sibi invitis im-  
 „positum dicitent: at quotus quisque  
 „est tam inscius rerum, qui non videat  
 „principium expugnandæ Academix  
 „Parisiensis, ideo a facultate Theolo-  
 „gica, tanquam robustiore duci, quo  
 „hac arce disturbata, reliquis facultati-  
 „bus de Salute sua desperantibus, Pa-  
 „tres in locupletiora Collegia hujus Aca-  
 „demix (quæ jam alias sæpe occupare  
 „conati sunt) proclivius invadant, &  
 „cunctas professiones Regias cujuscun-  
 „que sint generis partim in suum trans-  
 „portent Sodalitium, partim unis sibi  
 „affectis, & fiduciariis deferri curent?  
 „Quod sane propter studia & singularem  
 „gratiam, quibus apud omnes mun-  
 „tissimi sunt, illis tam promptum ac fa-  
 „cile, quam expeditum fuit in opimo-  
 „res cathedras Diæcesium totius impe-  
 „rii Gallicani involare. Eccui enim  
 „vestrum hodie alibi, quam in pagis &  
 „opidulis permissum est concionari? quæ  
 „Academia Europæ, quis Ordo Religio-  
 „sorum, quod Sodalitium tam illustre,  
 „aut excultum fuit, quod mansuetissi-  
 „mam & beneficam manum Societatis  
 „Jesu



„Jesu, in maculis suis detergendis, la- Sæc. XVII.  
 „cunis implendis, aut vitiis corrigend- A. C. 1609.  
 „dis non persenserit? usque adeo certe,  
 „ut calvis quoque pilos evellere, id est  
 „pauperrimos mendicantes Religiosos  
 „(quibus nihil aliud est proprium) te-  
 „ctis, & sedibus propriis sæpe deturbare  
 „voluerint. Nihilominus quia hæc ad  
 „majorem Dei Gloriam, idcirco in ædi-  
 „ficationem, non in destructionem fieri  
 „prætexitur.

„Quinto. Si Doctoribus Lovanien-  
 „sibus salutare & gloriosum fuit obniti  
 „Patribus, quanto magis huic Scholæ  
 „celeberrimæ palmarium ducetur, hoc  
 „certamen suscepisse ad se conservan-  
 „dum, neque quisquam in animum  
 „suum inducere debet, optimum & æ-  
 „quissimum Regem Patribus Societatis  
 „in detrimentum, & perniciem filiæ suæ  
 „primogenitæ (quæ Regno & Ecclesiæ  
 „Gallicanæ multum aliquando profuit,  
 „& ut speramus, adhuc profutura est)  
 „gratificari voluisse; cum præsertim  
 „suum diploma amplissimo Ordini com-  
 „probandum miserit: & quamquam non  
 „misisset, omniaque Patribus ex animi  
 „sui sententia contingerent, attamen  
 „semper justum, & laudabile censebi-  
 „tur, omnem impendisse operam, quo  
 „communem bonarum artium parentem  
*Hist. Eccles. Tom. LIV.*      *Ee*      „vii-



Sæc. XVII. „vindicare & posteritati propagare  
 A. C. 1609. „niteremur. „

His ita expositis Doctores ea, quæ  
 ipsis contra hanc suorum repugnantiam  
 objici possent, diuere nituntur, & pri-  
 mo quidem, cum nonnulli eis insinua-  
 rent, quod Jesuitæ non oppositionis via  
 sed pari solertia debellandi forent, his  
 ita reponerent Doctores, id æquum  
 foret, si eadem adjumenta, præmia &  
 gratiæ, quæ torrentis instar in Jesuitas  
 effunduntur, illosque ad certandum in-  
 citant, saltem guttatim in Academiam  
 effluerent; honorarium enim artes alit,  
 & ingenia excitat ad gloriam, indignum  
 autem foret, si Gallia solis Jesuitis opti-  
 ma & liberalissima parens, Academi-  
 cis vero infestissima esset Noverca. „Se-  
 „cundo caussabantur alii, obsistere Je-  
 „suitis, perinde esse ac bonum notissi-  
 „mum propulsare, sed dato etiam, re-  
 „spondebant Doctores, quod certitudine  
 „moralis exploratum haberetur, Socie-  
 „tatem longe uberiores fructus posse in  
 „aliquo Academiæ Collegio fundere,  
 „quam Gymnasiarcham & Professores  
 „istic docentes: an propterea istis Pro-  
 „fessoribus divino & naturali jure mi-  
 „nus permissum est adversari Patribus  
 „in Collegium suum annitentibus irrum-  
 „pere? III. Alii proponebant, quod  
 Jesuitæ in gremium Academiæ Parisien-  
 sis



Sæc. XVII.  
A. C. 1609.

sis cooptari velint, promittantque, ve-  
 rum eis a Theologis responsum, quod  
 vix credi valeat, Jesuitas id bona fide  
 polliceri; quippe semper quidem illis  
 „solemne fuit, quoties aliquid contra  
 „Academiam molirentur, nostram am-  
 „bire amicitiam; rebus non ex animi  
 „sui arbitrio fluentibus, & nos & nostra  
 „omnia magnifice contemnere. Su-  
 „prema lex Academiæ salus est Aca-  
 „demiæ, at salva esse nunquam potest,  
 „si Patres, qui Regulares non seculares  
 „sunt, publice doceant. Quocirca ab  
 „anno millesimo quingentesimo sexcen-  
 „tesimo quarto (tum enim primitus lu-  
 „dum aperuerunt Lutetiæ) Schola Pa-  
 „risiensis lento collisa duello jugiter con-  
 „tabuit, porro cum nobis tantum fa-  
 „cessant negotii foris, quid facient in  
 „nostra penetralia admitti? an Sodali-  
 „tium ad aliorum vitia corrigenda & de-  
 „fectus instaurandos compactum potest a  
 „quoquam hominum vel Collegiorum  
 „legem recipere, & non potius aliis  
 „omnibus edicere?

His ultro citroque agitatis tandem  
 omnium suffragio decretum est: Li-  
 bello supplici apud Regem & Senatum  
 agendum, ne Jesuitis Theologiam pu-  
 blice tradendi facultas detur, minus  
 vero eorum literæ a Rege extortæ in Se-  
 natu ratæ habeantur.

E e 2

§. LXVII.